

# Animadversiones critico-theologicae in loh. XX: 17

Autor(en): **Frytagius, J.R.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1752)**

Heft 25

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394714>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

# ANIMADVERSIONES

Critico - Theologicæ

in

*Job. XX: 17.*

modeste propositæ

a

JO. ROD. FRYTAGIO, C. W.

**Q**Uum investigatio locorum difficilium S. S. quæ promovendæ Veritati & Pietati inservire debet, utilis labor & necessarius dici queat, siquidem ea sensum S. S. declarat, & piis meditationibus occasionem præbet, nec mea persona indignum judicavi huic litterarum generi operam tribuere & quasdam Observationes ad faciliorem interpretationem & explicationem S. Litterarum in medium proferre, quarum primum hoc Specimen est, quod ut Lector æqui boni accipiat, omni studio rogo, utque persuasum sibi habeat, me non id agere, ut de sententiis Insignium Theologorum & Criticorum judicium pronuntiem, maxime enim dedecet disciplinæ alumnum de sententia Magistri judicium censorium & decretorium ferre; Ea tantum est mens mea, dubia, quibus sententia premitur, animo libero proponere, & sententiarum sive Auctores sive Defensores rogare, ut, qua ratione objectiones diluere velint, indicent, ut Veritatis certior fiat animus.

Non.

Nonnullas inpræsentiarum proponam Observa-  
 tiones in notissimam illam compellationem Sote-  
 ris ad Mariam Magdalenam, quam nobis narrat  
 Joh. Ev. XX. 17. Huic hujus Compellationis  
 investigationi occasionem præbuit ejusdem loci  
 investigatio, quam Vir eruditione sua Celeberri-  
 mus J. G. ALTMANNUS in *Mus. Helv. Part. V.*  
 in lucem edidit.

Quum Eruditus hic Vir plerasque doctorum  
 Virorum in locum hunc πολυθρύλληλον Observa-  
 tiones in brevi illa Disertatiuncula exposuit, &  
 multæ illarum tam sint ineptæ, ut ne refutatione  
 quidem indigeant, operam perderem, si diversas  
 illas sententias adducere vellem.

Tres tantum, quæ dignæ sunt, ut accuratori  
 Examine subiiciantur, sententias proponam.

Prima, quam nobis exhibuit Vir & ingenio &  
 eruditione & pietate vere Illustris SAM. WEREN-  
 FELSIVS, quam & in τῆ νῦν ἐν ἀγίῳ Lampe  
 Exegesi Ev. Joh. reperimus, hæc est: Ad prædi-  
 ctionem Soteris respiciendum esse, quæ extat Joh.  
 XIV. 2. 3. 18. ubi promiserat, se ad Patrem su-  
 um iturum, & suis Electis locum paraturum, in-  
 deque reversum discipulos suos omnesque amicos  
 assumpturum esse ad se ipsum: Mariam existimas-  
 se, hanc prædictionem tum temporis complemen-  
 tum accepisse; Jesum a terra ad Patrem jam abi-  
 isse indeque reversum eo consilio nunc compare-  
 re, ut miseram hæctenus discipulorum & sincero-  
 rum assecularum conditionem mutaret, eosque se-  
 cum in regnum suum adsumeret; Mariam itaque exi-

mia comparitionis Jesu lætitia perfusam Soterem  
 ceu ab itinere ad Patrem jam reducem amplecti  
 voluisse: Jesum vero id prohibuisse, ut eam er-  
 rore suo liberaret, & doceret, se post aliquos de-  
 mum dies ad Patrem iturum, & dilectis suis viam  
 Cœli aperturum esse. Fateor, hanc sententiam  
 multis ingenii luminibus illuminatam esse & pie-  
 tatem sapere; Sunt tamen nonnulla, quæ contra  
 eam objici possunt. *α.* Vix crediderim, Mariam  
 tam brevi temporis spatio, tam inopinato adspe-  
 ctu Soteris, inter quem & verba, quæ Jesus lo-  
 quabatur, ne momentum quidem temporis in-  
 tererat, hæc omnia animo volvere potuisse, in-  
 primis hanc ob causam, quod maximo animi ad-  
 fectu, gaudio scilicet commota & capta plane erat,  
 quod meditationi, comparationi prædictionis cum  
 præsentis rerum statu locum vix cesserat: notum  
 enim est, nos, si animi cuidam adfectui copiam  
 nostri fecerimus, ne de ea quidem re accurate  
 cogitare posse, ex qua hic adfectus oriundus erat.  
*β.* Et si concederem, Mariam hæc omnia animo  
 libero cogitare potuisse, dubium est, num ulla  
 certitudine demonstrari possit, Mariam, quæ cum  
 aliis Mulieribus piis veram Salvatoris in redimen-  
 dis animabus virtutem experta erat, hanc præ-  
 dictionem de quotidiana & æterna Soteris in terra  
 cum suis redemptis consuetudine, de repentina  
 morte sua, de inopinata metathesi in cœlum,  
 de communi suscitatione mortuorum & ultimo  
 judicio, ita intellexisse, ut unum horum certe eo  
 temporis articulo futurum crediderit, quod tamen  
 credidisse eam oportuit, si firma est sententia,  
 Eam existimasse, Jesum jam e cœlo rediisse, &  
 omnes sui Cultores ad se recepturum esse: Eam  
 autem

autem hæc non credidisse, palam est, quod Jesus eis mansiones non in terra, sed in cœlo promiserat, quod hanc terram pro loco veræ felicitatis non poterant unquam agnoscere homines disciplina Christi fruentes, quod tandem nulla ex his rebus in sermonibus Jesu ceu indivulsa & necessaria comes resurrectionis Christi & quoad tempus promissa est: Cui inde firmitas & robur accedet, quod, si non omnes discipuli, certe aliqui, certe Mulieres piæ, promissiones post resurrectionem Christi implendas non de regno Messiae terreno, sed de rebus spiritualibus intellexerant, & dulcissimus Soter pias istas Mulieres, quas in familiari sua & sanctissima cum illis consuetudine in doctrina salutis erudierat, clare docuit, vera bona domus Dei demum post novissimum illum diem in futuro seculo accipienda, adeo ut futuræ in cœlis beatissimæ vitæ spem certam nactæ ejus adventum ad præsidium duris fidelium rebus & urgenti in terra periculo, ejus adventum in hora mortis ad liberationem ab omnibus molestiis & ærumnis mentis ac corporis, ejus adventum tandem in ultimo judicio ad liberandam Ecclesiam ab omnibus, quibus premebatur, miseriis, & ad largiendam æternam felicitatem omnibus fidelibus pro impletione prædictionis acceperint, *εάν πορευθῶ καὶ ἐτοιμάσω ὑμῖν τόπον, πάλιν ἔρχομαι καὶ παραλήψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτὸν • ἐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὄσφρανές • ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς.*

Alia est sententia, quam nobis exhibet sæcundum ingenium Cl. ALTMANNI, cujus partem Cl. Lampe ex B. Lamio adfert: Mariam summo mane ad sepulchrum ivisse, eam Dominum hortula-

num suspicatum esse, Christum eam nomine suo compellasse, eam cognovisse vocem ejus, atque responsione vocis Rabbuni significasse, se Jesum agnoscere, se credere, Christum se ei manifestasse, mansisse tamen dubium aliquod, num is revera sit Christus, an non forsitan animæ Christi formam tantum solido corpore destitutam coram se videat, vel an alius sit eandem vocem & formam referens, quapropter, ut de veritate certior fieret, Jesum amplecti voluisse, Soterem vero eam objurgasse & jussisse, ut crederet, si Dominus ipse loquatur, Se Jesum esse quem quæreret, nondum in cælum ascendisse, eam proin occasionem in posterum habituram eum complectendi, ut abiret, & discipulis annuntiaret: Ὅτι ὁ Κύριος ἠγέρθη. Nemo negabit, hanc sententiam ad magnum si non veritatis, probabilitatis saltem gradum accedere, modo hypothesis illa, qua nititur tota argumentatio satis solido superstructa esset fundamento; facile enim observabis, non satis indiciorum adesse dubitationis Mariæ, quæ tamen in historia Thomæ & discipulorum Emaunticorum clare indicantur: Cl. *Altmannus* nexum antecedentium cum sequentibus inspicere nos jubet, at, quod ad ea, quæ hunc versum nostrum sequuntur, solus versus 19. historiam Mariæ adhuc perhibet, quæ autem omnia ibi narrantur, rem nostram nihil attinent: Quod si attendas ad antecedentia, fateor, adesse aliquid, ex quo concipi queat, Mariam dubitasse: Expendamus omnia hujus circumstantiæ momenta: Maria summo mane ad sepulcrum veniebat eo tempore, quo neminem fere, cuius formam non accurate novimus, quique voce sua, quis sit, non indicat, dignoscere vale-

valemus, comperit, Jesum non esse in sepulcro; Jesum certe se in horto offensuram non opinatur; Quum vero quis ei obviam procedit, quem hic adesse meliore jure quam hortulanum arbitrabatur? Ideo Jesum hortulanum esse suspicatur: fateor, fieri potuisse, ut ex hoc errore dubitationis occasio oriretur, num Jesus sit, qui eam allocutus sit, nec ne? Sed nonne id quoque fieri potest, ut amicum, familiarem, fratrem, quem tempore & loco offendimus inopinato & improvise, non agnoscamus, & simulac vocem ejus audivimus, mentis & sensuum compotes eum rursus cognoscamus? Nonne fieri potuit, ut Maria, simul ac vocem eam, quæ antea animum tam sæpe Verbo Evangelii refecerat, quam a mille vocibus discernere poterat, audivit, simul ac se consueto Soteri nomine, Maria! compellari audierat, Eum agnoverit, vox enim hominis sæpe ad dignoscendum tantundem valet, quantum ipsa forma: accedit, quod *σφαρῆσα*, corpore toto ad faciem Jesu versa, ipso visu nova adhuc indicia detegere potuerit, quod ipse Jesus sit, quicum loqueretur: Sæpe quidem accidit, ut diluculo vel occidente sole quem agnoscamus, si oculos quasi in eum defigamus, præsertim si homo sit nobis familiaris; Nonne fieri tandem potuit, ut cum dulcissimus Soter, omnia impenderat, ut se illi manifestaret, divinum lumen oculos ejus aperuerit, quæ in Jesu quærendo omnem diligentiam adhibebat? Sunt hæ hypothefes, quæ æque contingere potuerant, ac illa, quod Maria dubitarit.

Quid de voce illa, Rabbuni, cogitandum, nonne ea indicium certum est fidei Mariæ, *Διδά-*

*κυριε*, quod nomen muneris & honoris est, quo  
 Jesus & a discipulis & a Mulieribus adpellatus  
 erat, quodque sibi præcipuum & singulare esse  
 voluit, Matth. XXIII. Nonne ea vox signum fi-  
 dei maximique gaudii est, dum Maria Jesum Chr.  
 unico verbo omnibus honoribus adficit, qui Je-  
 sum cœlestem Doctorem divinumque Soterem esse  
 declarant? aut nunc dicendum est, Mariam hanc  
 vocem pronuntiasse, dubitantem adhuc quis si-  
 bi adstaret? aut: Eam credidisse, Jesum esse, qui  
 a mortuis redierit, & tamen dubitasse, ane for-  
 san illius umbra, ane alius sit, cui vox pariter  
 & forma similis? aut; Mariam non dubitasse, Je-  
 sum agnovisse, & vocem Rabbuni fuisse primum  
 fructum & testimonium fidei illius: Et hoc in hac re  
 observatu dignissimum est, si Maria de veritate  
 resurrectionis Jesu dubitasset; Nonne dulcissimus  
 Soter pro ineffabili sua misericordia se a Maria  
 tangi permisisset, ut hac ratione de veritate hac  
 certior fieret? Nescio certe, quare Jesus hanc ve-  
 ritatis indagandæ rationem discipulis Emaunticis,  
 Thomæ, qui omnia omnium testimonia ad suum  
 arbitrium referebat, concesserit, atque adeo ul-  
 tro obtulerit; Mariæ vero, quæ eum cum soli-  
 cita expectatione & desiderio quæsierat, animum-  
 que, tantum abest, ut obfirmarit, ut potius læ-  
 ta mente omnia subsidia adhibuerit, repulsam  
 hujus rei dederit? Quid impedit, quo minus in-  
 de colligamus, Mariam, superata jam omni du-  
 bitatione dum eum amplexari voluit, id non eo  
 consilio fecisse, ut certior fieret, num cum ipso  
 Sotere loqueretur. Tandem & hæc non omitten-  
 da sunt: Si Maria ad convictionem suam Jesum  
 amplecti voluit, parum congruere videntur ver-



ba Soteris, ἔγω γὰρ ἀναβέβηκα, & quæ sequuntur Cl. *Altmannus* ita explicat: *Aliquamdiu adhuc in terra morabor; Maria in posterum corporis mei tangendi occasione fruetur; id nunc negotii ei incumbere, ut abeat, & fratribus veritatem resurrectionis Chr. annuntiet: &c.* Quæ autem explicatio ipsam, quam modo protuli, objectionem, meo quidem iudicio, confirmare videtur: Qui, quæso, fieri potuit, ut Jesus Mariæ hoc veritatis inveniendæ subsidium abnueret, quo illi eo tempore, si alias unquam, maxime opus erat. Vix adducar, ut credam, Soterem eam misisse, ut discipulis pro certo adnuntiaret rem, de qua ne ipsa quidem certa erat. Cl. *Lami* aliam verba hæc interpretandi viam ingressus est, quam vero sententiam cum cogitationibus Cl. *Altmanni* confundere nolim, scilicet: Mariam existimasse, Jesum jam in cælum ascendisse, & ut inanem hanc opinionem dilueret Jesus, respondisse: Quod modo a mortuis surrexerit, quod tempus reditus sui ad Patrem nondum adsit, quod vero futurum sit, ut paucos post dies ad Patrem evehatur. Maria sane non existimarat, Jesum jam in cælum ascendisse, modo legantur verba illa, quæ v. 13. ad Angelos & 15. ad ipsum Soterem dixerat.

Est adhuc alia sententia, quam Cl. *Altmannum* inter cæteras non proposuisse miror, dum sua se simplicitate, & si non veritate, maxima tamen verisimilitudine commendare videatur. Sententia hæc est: *Mariam celeri & præcipite festinatione maximo gaudio permotam Jesum amplecti voluisse, quem incredibili cum desiderio quæsierat; Soterem vero illi dixisse; Maria, ne in me amplectendo tam diu detinea-*  
ris;

ris; *Hoc testimonium amoris tui lubens equidem accipio, satis sit tibi me vidisse nunc, non deerit tibi copia & occasio me videndi, nondum adest tempus ascensionis meae, abi nunc, &c.* Non omni fundamento hæc sententia caret: Si modo ponas, quod ipsa ratio suadet, Mariam tanta subito perfusam esse lætitia, quanta adficiuntur homines, qui subito & necopini offendunt familiarem, hominem sibi conjunctissimum, quem longo temporis decursu non viderunt, quem proin verbis, amplexibus, osculis, omnibusque blanditiis excipiunt, quocunque adfectuum vehementissimo motu feruntur, qui gestibus indicant, quæ in animo latent, quando gaudium præcludit vocem, qui adfectibus tam exiguum statuunt modum, ut ea ipsa hora, qua offenderunt amicum, alius ab alio ita discessuri videantur, quasi in vita nunquam se videndi vel conveniendi illis redderetur potestas. Cur non credamus, Mariam hac adfectuum vehementia turbatam? Cur non, Jesum huic in externos gestus prorumpenti gaudio, quod ex repente potius Soteris adpectu, quam ex consideratione salutis per Chr. præstitæ oriundum erat, modum statuisse existimemus? Quid impedit, quominus verba Christi ita intelligamus? „Maria, ne voluptati, quam ex me videndo, amplectendo, meaque præsentia fruendo nunc percipis, tantam tui facias potestatem, ut omnia alia obliviscaris. Versabor adhuc nonnullos in terra dies: Nondum in eum ascendi locum, ex quo usque ad ἀποκρίσεις rerum omnium non rediturus sum: Occasio tibi adhuc erit mea consuetudine, meo amore & familiaritate, dum in terra commorabor, solatioque divino ex ipso ore meo fruendi;

Cogita

Cogita multo magis de impletione prædictionis de mea resurrectione, de consummatione ærurnarum mearum, de acquisitione regni æterni pro omnibus electis, ceu fructu meriti mei; hoc sanctissimo gaudio indies magis magisque adficiaris; hocce sanctissimo adfectu permota abi, & meos discipulos ejusdem gaudii & solatii participes redde, quod nunc animum tuum occupet oportet, annuntia illis, Jesum propter peccata hominum Cruci adfixum totum opus redemptionis ad finem perducturum, aliquos adhuc dies ad necessariam discipulorum eruditionem & consolationem cum illis in terra commoraturum, tandem ad oblationem pretii Patri pro peccatis hominum soluti, ad æquam & egregiam laborum suorum mercedem, ad antitypum Summi Sacerdotis in V. T. qui quotannis semel tantum in Sanctum Sanctorum ingrediebatur, & ad fidem certam discipulis suis faciendam, quod & ipsi tandem ad thronum gloriæ evehendi sint, ascensurum esse., Procul dubio hæc explicatio optime congruere videtur, modo Mariam certam dulcissimi Soteris amicam, mulierem Jesu amantissimam credas, quam mente commotam, dum Christum inopinata conspicebat, stupor maximus invaserit; modo ponas, Jesum desiderio Electos suos erudiendi eisque fundamentum & originem veri gaudii aperiendi flagrasse, quod Salvatori nostro in integra sua vita, præcipue post resurrectionem tribui debet, quum terram corpore suo relicturus suos Cultores spirituali & internæ cum ipso familiaritati adsuefacere vellet.

Hac

Hac hujus loci explicatione solvi queunt fere omnes objectiones, quæ contra ejusdem sensum adferri solent: Si dicas, non perspici posse rationem, quare Soter a Maria tangi noluerit, dum hic J. Chr. amplexus tantum temporis non postulasset, ut propter eum non satis mature Discipulis lætum hunc nuntium Maria adferre posset? Desiderium enim discipulos metu mortis suæ liberandi, quo Jesus ardebat, erat prorsus singulare; & respectu hujus rei mandatum, quod Jesus Mariæ dedit, apprime convenit cum eo mandato, quod discipulis ad præconium Evangelii missis injunxerat, ut in itinere neminem salutarent, i. e. ut nullis in tota via sese impedirent negotiis, quæ non ullo modo promovendo scopo suo inservire possent: Præterea observandum est, Jesum non eo tantum consilio Mariam vetuisse, ne ipsum tangeret, ut Maria eo citius discipulis resurrectionem suam annuntiare posset, sed ut præterea animum ejus a brevi eum complectendi voluptate avertere, veros fructus redemptionis suæ monstrare, & ita hoc nuntio discipulos præparare posset, ut eo melius scopum passionis, mortis & resurrectionis suæ intelligerent; utque iis diceret, quod aliquos adhuc dies cum iis in terris versari vellet, interim autem discipuli non existimarent, corporalem ipsius præsentiam, sed potius veram omnium fidelium redemptionem, & spiritualem ac internam, quam in posterum habituri sint communionem cum eo, objectum veræ voluptatis illorum esse debere. Ita & illam objectionem facile solvere possis; Quare Jesus se a cæteris mulieribus, a discipulis, a Thoma tangi permiserit, a Maria vero non item? Discipulos Emauticos,  
Apo-

Apostolum Thomam jubet Jesus ipsum complecti, ut ad meliorem certitudinem & hoc sensu uti, & ita de veritate resurrectionis suæ certiores fieri possint, quod Mariæ opus non erat de veritate rei, quam oculis cerneret, auribusque audiret, minime dubitanti: Cæteris piis mulieribus permisit sui amplexum, procul dubio, ut & hoc demonstrationis genere munitæ & exornatæ discipulis faciliori negotio persuaderent, Jesum surrexisse, cum dicere possent, se eum non solum vidisse, sed & amplexatas esse; Non autem necessarium erat, Mariam hoc testimonio muniri, quæ non tam, ut resurrectionis ipsam veritatem, sed potius dulcissimos ejus fructus annuntiaret, ablegabatur. Quid tandem restat, quam ut ex ipsa hac repulsa, quam Maria tulit, colligamus, hunc amplexum ex nimio & repentino ob corporalem illius præsentiam gaudio ortum esse, quod potius piis meditationibus, firmitati fidei, caritati, spei & desiderio æternæ & beatissimæ cum illo in cælis communionis ansam & occasionem præbere debuisset? Hujus sententiæ prima elementa depromsi ex B. LAMPE *Comment. in Evang. Job.* quam clarius dilucidare, & ad intelligenda ea verba, quæ Jesus discipulis per Mariam nuntiari voluit, præsertim, si ea ad praxin convertere velis, nonnulla etiam alia adhuc addere animus fuit, ut ex positis veris vel saltem probabilibus præmissis eo clarior & firmior prodiret consequentia. Cæterum, L. B. hujus loci non est, Commentarium, vel integram, quæ ad hunc locum scriptæ sunt, Critico-Theologicarum observationum congeriem in lucem edere, quapropter modeste quasdam sententias expendisse, argumenta, quæ pro allatis sententiis stent; objectionesve, quibus impugnari possint, proposuisse sufficiet.